


Franz Albert Aepinus


**In Festo Sanctorum Angelorum, Vulgo Michaelis Dicto, Ut Coelitibus, Sanctisque  
Speciatim Angelis, Vera Seriaque Peccatorum Poenitentia Gaudium Creent,  
Publico Hoc Programme Cives Academicos ... Hortatur Ac Admonet**

Rostochii: Typis Johannis Jacobi Adleri, [1742?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004031823>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

---

1742. Michael.

~~M-1256~~ 269.

Mich. 1742

IN FESTO  
 SANCTORUM ANGELORUM,  
 VULGO MICHAELIS DICTO,  
 UT  
 COELITIBUS, SANCTISQVE  
 SPECIATIM ANGELIS, VERA  
 SERIAQVE PECCATORUM POENITENTIA  
 GAUDIUM CREENT,  
 PUBLICO HOC PROGRAMMATE  
 CIVES ACADEMICOS,  
 STUDIOSE PRÆSERTIM JUVENTUTIS COHORTEM  
 PIE SERIOQVE HORTATUR AC ADMONET



FRANC. ALBERT. ÆPINUS,  
 S. TH. D. PROF. DUCAL. PUBL. ET CONSIL. CONSISTOR.  
 FACULTATIS SUÆ SEN. ET ACADEMIÆ HODIE  
 RECTOR.

ROSTOCHII,  
 Typis JOHANNIS JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS  
 & ACADEMIÆ Typographi.

A. 1256 269

\* \* \* \* \*



n superiori S. S. Pentecostes Festo, ut à contri-  
statione sancti Spiritus DEI piè studiosissimeque Vo-  
bis caveretis, cum Apostolo Paulo, *Eph. IV. 30.*  
me, pro officii ratione, publico Programmate  
Vos, CIVES ACADEMICI HONORATIS-  
SIMI! sollicitè seriòque hortatum esse, sapiùs  
abinde recordandi materia suppeditata mihi  
fuit, & Vobis etiam, opinor, in recenti ad-  
huc hærebit memoria. Quam autem vellem,  
voti tum mei me compotem apud Vos omnes, qui Studiosorum no-  
mine gaudere gestitis, factum fuisse, quò de contrario conquerendi  
nec mihi, nec aliis ulla vel causa, vel occasio superesset, sed cun-  
cti tam gravibus, non temporalem solum eorum felicitatem, veràm  
æternam etiam animarum salutem pro scopo habentibus monitis mo-  
rem, ceu sperabatur, & omninò decebat, promptum constantemque  
gessissent. At enim verò, in mundo nos corrupto, in quo mala bo-  
nis mixta, nos vivere, ac inter bonos eum malis degendum nobis  
& agendum esse, quod equidem dolemus, tristis non semel, sed  
iterum atque sapiùs nos docuit experientia. Verùm ejusmodi sem-  
per, ad finem usque mundi, Ecclesia, quidnì igitur & Academia-  
rum? fore statum, Salvator ipse per Parabolam edixit, *Matth. XIII.*  
*24 - 31.* quàm deinde Discipulis rogantibus exponit, ad Ecclesiam  
in mundo hoc applicatam, *v. 36. - 44.* Quid ergo mirum, in Aca-  
demiis idem nos experiri? quippe quæ pars Ecclesiæ non minima  
sunt. Interim iis, quos penes ea potestas est, incumbit, ut, quo fieri  
potest modo, malis resistent, memores illius, quò graviter per Pro-  
phetam edixit DEus noster: *Si verò tu (fili hominis) dehortatus fueris*  
*impium à viâ ipsius, ut converteret se ab illa, nec tamen reuersus fuerit à viâ*  
*suâ: ille ob iniquitatem suam morietur; tu autem animam tuam eripuisti,*  
*Ezech. XXXIII. 9.* Quod monitum divinum non Ecclesiæ solum  
Doctores atque Ministros spectare, sed omnibus, quos penes alio-  
rum actiones vitæ dirigendi jus est atque munus incumbit, præ-  
scriptum censendum est. Quamobrem & nos, prout in conscientiâ  
non solum certi fumus, sed & Vos, contra Vos ipsos, testes advoca-  
mus, officio nostro, ad eripiendam animam nostram, hæctenus fun-  
cti fumus, ab omni petulantia, perversitate ac improbitate quacun-  
que, qui se malos exhibere gaudent, & honori sibi gloriæque du-  
sunt, nunc privatim, nunc publicè, seriò graviterque dehortantes.

At

At sincerum erga Vos affectum nostrum à nonnullis insuper habitum, atque piam intentionem nostram & conceptam spem, quorundam respectu, nos frustratam esse, dolendum in modum, experti sumus. Ut ne tamen nos salutis vestrae negligentes simus, aut eiusdem minus cupidi censeamur, Vos omnes equidem, COMMILITONES OPTIMI! sed in specie Vos, qui, spretis divinis pariter ac humanis, interque has Academicis, Legibus, juvenilem ceteroquin, utut & eam ipsam in foro divino nullatenus excusabilem, petulantiam superante malitiâ, proæreticisque peccatis sanctum DEI Spiritum contristare veriti non estis, piè sollicitèque, loco tristitiæ, gaudium verâ feriâque factorum pœnitentiâ Cœlitibus, sanctisque speciatim Angelis creetis, etiam atque etiam monemus, adhortamur, imò, si mavultis, per salutem vestram Vos rogamus ac obtestamur. Ignotum quippe Vobis non est, ab ipso Salvatore nostro hoc nos remedium delictorum edoceri, testato, *Luc. XV. 7. Dico vobis, quod gaudium futurum sit in caelo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta novem justis, qui non opus habent pœnitentiâ.* Et iterum *v. 10. Dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quorum verborum prolixam instituere exegesis, supervacaneum arbitramur, nisi quod unum alterumve circa eadem observandum fuerit. Cum enim dicitur, futurum esse gaudium *in caelo*, quaeritur: quinam hîc intelligantur incolae cœli? Sunt, qui Christum solos Angelos sanctos respicere, opinantur, quandoquidem mox eos expressè nominat. At tantum abest ut ea propter in isthanc concedere sententiam queamus, ut potius ob eam rationem, dum Angelos in specie deinceps nominat, cum ante gaudium *in caelo* fore, dixerat, hîc eum omnes generatim, qui cœlum inhabitant, intelligendos velle, putemus, neque seipso, neque DEO excluso. Nam DEUS etiam in caelo habitare dicitur *Psal. II. 4. & in caelo esse, Matth. VI. 9. & ipsemet se, sicuti terram, ita & cœlum implere, edixit Jerem. XXIII. 24.* Nulli proinde dubitamus asserere, DEUM ipsum super peccatorum pœnitentiâ gaudere. Percepistis etenim Spiritum S. ob peccata hominum contristari: Quidnî etiam de pœnitentia peccatorum gauderet? Tristitia gaudiumque contrariæ sunt in nobis animi affectiones, ab objectis causisque contrariis oriundæ, ista quidem à malo & ingrato; hoc à bono, grato nobis & accepto. Dum igitur peccata & pœnitentia de iis uti malum ac bonum sibi contrariantur, DEUS autem peccata detestatur & odit, indeque graviter prohibuit; pœnitentiam verò amat, eâque delectatur, & eam præcepit, *Marc. I. 13. Act. XVII. 31.* idcirco de hoc gaudium illi, uti tristitia de istis æque attribui potest. Scilicet, non magis gaudium in DEO commotionem

nem animi, passionem aut affectum infert, ac tristitia, quam *αὐθροπονία* & improprie tantum de DEO prædicari, ut, affectu nominato, effectus denotetur prout etiam ex allegandis paulo post Dicitis clarum fiet, jam olim diximus. Non autem alienum à Scripturâ esse, quod DEO gaudium lætitiæque tribuatur, plura illius loca condocent. Testatur id Moses, DEO præ ceteris, vel ipso testimonio divino, *Deut. XXXIV. 10.* familiaris Vates, populum Israëliticum admonens, DEum non solum, quamdiu ipsi constanti pietate ac obedientiâ adhaerent, lætatum esse, ad benefaciendum illis, ac ad multiplicandum eos; sed etiam, si peccando defecerint, super iis esse lætaturum ad perdendum eos atque delendum è terra promissionis, *Deut. XXIX. 63.* Quin & *Cap. XXX. 9.* coll. v. 2. & 8. expresse prædixit illis, si, promeritam delictorum suorum pœnam sentientes, ad DEum actâ pœnitentia convertantur, id ei gaudio fore: *Reverteretur, inquit, JEHOVAH, ad gaudendum super te, in bonum, quemadmodum lætatus fuit super Patribus tuis.* Et è contrario, *Esaïas Cap. IX. 17.* DEum super illis gavisurum esse, propter eorum peccata, negat. Quid multis? DEus ipse gaudium sibi adscribit, per Prophetam fidelibus suis ac obedientibus promittens: *Ecce, ego creaturus Hierosolymam exultationem, & populum ejus lætitiæ. Ut exultem super Hierosolyma, ut later super populo meo, Es. LXV. 18. 19.* Quæ cum ita sint, tantum abest ut Scripturæ quid adversum, ut potius ei quam convenientissimum sit, asserere, DEO feriâ peccatorum pœnitentia gaudium creari, & Salvatorem, cum dixit, in cælo super peccatore pœnitente gaudium raturum esse, hoc etiam intellectum voluisse. Seipsum autem ab eo Dominum non excepiisse, vel sola horum verborum occasio docere nos potest. Phariseis enim & Scribis exprobrantibus sibi, quod accedentes, ad audiendum ipsum, publicanos & peccatores susciperet ac cum illis comederet, obviam ibat, id sibi esse gaudio, suumque hoc officium postulare, significans, utpote qui, non justos, sed peccatores ad pœnitentiam vocaturus venerat, prout ipse jam olim in casu simili declaraverat, *Matth. IX. 13. Luc. V. 31. 32.* Unde non gaudere non poterat, quando, se sine suo potiri, suasque ad pœnitentiam adhortationes non apud omnes, nec omnino frustraneas esse, experiebatur. Et quanquam tunc temporis, quoad humanam naturam, in terris adhuc versabatur; in cælum tamen propediem ascensurus erat, ibique non minus ac hîc de pœnitentia peccatorum se gavisurum procul dubio significare voluit. Qui enim non gauderet, si viderit, eos, qui quidem ad vitam creati, sed peccando se ipsos in mortem æternam præcipitaverant, pœnitentes ad vitam æternam reverti, quam ipsis, tot ingentes ac ineffabiles dolores, ad mortem

crucis

crucis usque, pro iis perpeffus, promeruit? Quos fratres appellare non erubuit? *Ebr. II. 11.* Quos ut fratres adeò dilexit, æternumque ceu consanguineos est dilecturus? Sic itaque gaudium & apud DEum, & apud Salvatorem nostrum, Dominum JESUM Christum, in cælo super peccatore pœnitente futurum est. Præterea sunt in cælo quoque fidelium & in Domino piè defunctorum ac beatorum animæ, de quibus quæri potest, num & illæ gaudium è peccatorum pœnitentiâ concipiant, eamque propter lætentur? Ratio dubitandi quippe videtur insinuari *Ef. LXIII. 16.* siquidem *Abraham non cognovit nos, & Israël nos non agnoscit.* Ex quo contra Pontificios, ipsi probamus, nullam beatis animabus in cælo nostrarum actionum contingere notitiam: quapropter & preces nostras exaudire nequeant. Et fanè diffidendum non est, quoad istas rem non omnino dubio carere videri. Certum etenim est, eas in terrâ hic præsentibus nobis non esse, proindeque actiones nostras, præsertim internæ mentis ac cordis quæ sunt, cuiusque modi pœnitentiæ est, observare ac per se immediatè novisse non posse. Interim, CHRISTUM eas sub iis, quos in cælo super peccatore pœnitente gavifuros dixit, simpliciter non comprehendisse, nec ullam eas, quam incolæ terrarum agunt, pœnitentiæ scientiam obtinere, temerè affirmare non ausim. Est enim beatis animabus cum DEO & CHRISTO continua in cælo conversatio. *Joh. XIV. 3. XVII. 24. 2. Cor. V. 8. 1. Theff. IV. 17.* ideòque non improbable ducendum est, interdum iis quod de se novisse non possunt, hunc & illum, præsertim de suis si fuerint cognatis aut amicis, quos in mundo habuere, pœnitentiæ egisse, singulariter divinitus manifestari. Sic enim semper semperque novam nanciscuntur divinam erga genus humanum benignitatem glorificandi materiam, quoniam illa laudanda, quæ tempus non solum ad pœnitentiæ peccatoribus concessit, sed & conversionis gratiam, ad pœnitendum necessariam, *Jerem. XXXI. 18. 19.* iis largitus est. Atque hinc gaudium concipiunt ex pœnitentiâ eorum, quibus gloriosum DEI regnum, in honorem eius, amplificatum iri, quosque ceu cohæredes æternæ salutis olim excipiendos fore, sperare possunt. Insuper etiam ab Angelis, quibuscum iis amicam consortium est, *Ebr. XII. 22.* haud dubie nonnunquam, si qui pœnitentiæ heic egerint, resciscunt, ut unâ cum ipsis de eo congaudeant. Angelos autem super peccatore pœnitentiæ agente gaudere, eò minus dubii habet, quò clarius CHRISTUM id asserentem audivimus. Sunt Angeli quippe spiritus ministratorii, in ministerium emissi propter eos, qui hæreditaturi sunt salutem, *Ebr. I. 14.* adeòque circa nos versantur, & quas intuentur, actiones nostræ illis ignotæ non sunt.



Non quod cordium scrutinium & internarum cogitationum notitiam illis tribuamus, sed quod externis ex signis, verbis gestibusque, pœnitentiam hominum agnoscere valent, cum primis si divina quoque accesserit revelatio. Quemadmodum igitur per concreatam sibi sanctitatem, in qua & per beatificam DEI visionem, *Matth. XIX. 10.* confirmati sunt, quæ DEO displicent, non odissè ac averfari non possunt; sic è contrario, quæ DEO placere norunt, etiam sibi voluptati ducunt, iisque delectantur. Hinc cum peccare nos vident, dolent ac contristantur; si verò pœnitentem conspiciunt peccatorem, gaudent atque lætitiâ afficiuntur. Quod cum expressum Salvatoris effatum sit, temeritati forteam verti potest, indagaturo rationem, cur Angelorum hic speciatim mentionem fecerit, cum paulo antè generaliter jam dixerat, in cœlo futurum esse super peccatore pœnitente gaudium. Nam Angeli non minus, ac animæ beatæ, cœli sunt incolæ, *exercitus cœlestis* hinc appellati, *Luc. II. 13.* Si tamen aliquid opinari ac balbutire heic licet, videtur Salvator aliquem ad illud, quod Angelis nobiscum intercedit commercium, respectum habuisse. Et hoc eum quidem in finem, ut eo simul nos admone-ret, tantò sollicitiùs curandum nobis esse, ne in peccatis ac impœnitentia contumaciter perseverantes, Angelos, à quibus, ceu DEI ministris, tot in nos ingentia bona proficiscuntur, contristemus, & à nobis abigamus. Sunt enim ut amico erga nos affectu, ita salutis nostræ cupidissimi. Quocirca, dum, nos sapiùs peccare, quo salute nos indignos reddimus, ignotum ipsis non est, sed maiorem in modum gaudebunt atque lætabuntur, quando, pœnitentiam à peccatoribus actam intelligunt. Sic enim illos in gratiam divinam recipi, norunt, aternæ beatitudinis olim consortes secum futuros, infinitamque DEI gratiam atque Majestatem sine fine concelebraturos. Glorificationem DEI namque non suam solum agnoscunt præcipuum officium, sed & amplificationem ejus vehementer cupiunt curaque, quantum in se, sibi habent. Hanc autem non sine pœnitentiâ peccatorum obtineri, experiundo didicerunt, siquidem impœnitentes aternâ salute excidunt, ast in inferno quis consistebitur Domino, *Psal. VII. 6.* & gloriam illius celebrabit? Quo plures itaque peccatores pœnitentiam acturi sunt, eò plures, si constantes in fide permanserint, in regnum gloriæ intrabunt, pluresque diuinam bonitatem ad eò cum Angelis collaudabunt: quapropter eò magis illi gaudebunt, gaudentes exultabunt atque tripudiabunt. Sic ergo, juxta probata, super unoquoque peccatore pœnitente gaudium in cœlo futurum est coram DEO & Salvatore nostro IESU CHRISTO, coram animabus beatitudinem jam consequutis, & speciatim etiam coram Angelis

lis sanctis. Nec leve hoc esse tehueve gaudium, putandum est, sed omninò magnum; CHristo nos itidem docente. Comparat namque peccatorem, in statu peccati spectatum, ovi à grege aberranti ac perditæ, sed à Pastore suo sollicitè quæsità; respicientem autem ac ad DEum reversum inventæ: qualem etiam eundem scopum habet altera parabola de drachmâ amissâ & à matre familias anxie quæsità, tandemque rursus inventâ. Utrique, tam Pastori, quam matri familias ob iterum inventam amissam antea rem eminens gaudium adscribit, & similem in modum magnum, ut in cælo universim, sic & speciatim coram Angelis DEI, gaudium fore, dicit. Quodque summum est, sicuti perditorum ac amissorum recuperatio nos magis, ac eorum, quæ reliqua nobis supersunt, afficit atque delectat; ita majus, asserit, futurum esse gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis pœnitentiâ non opus habentibus, i. e. qui vel, opinione suâ, se justos, exemplo istius Pharisei, *Luc. XIII. 11. 12.* (quem hodiè hæud pauci, se solos conversos, sanctosque jactantes, imitantur,) reputant ipsi, vel actâ pœnitentiâ, per fidem in CHristum à DEO verè justificati jam sunt, uti diversas super hoc pronunciatas interpretationes offendere datur. Utut vero sit, sufficere nobis potest, indigitare voluisse Salvatorem, si quis peccator pœnitentiam egerit, permagnum super eâdem in cælo, sanctisque speciatim Angelis DEI, gaudium fore. Quæ cum ita sint, quid nostrum, CIVES HONORATISSIMI! judicabimus esse? Verum est omninò, testibus non solum sanctis DEI hominibus, Salomone, *Cobel. VII. 21.* Paulo *Rom. III. 23.* Johanne, *1. Epist. I. 8. 10.* Jacobo, *Cap. III. 2.* sed conscientia quoque cujuslibet propria attestante, neminem nostrum sine peccato vivere, quin omnibus nobis, cum allegato Apostolo Jacobo, consistendum sit: *In multis labimur omnes. Quis namque dabit mundum, ex immundo? Job. XIV. 4.* Quapropter itaque, quoniam, ut cum Catechismo nostro loquamur, quotidie multifariam peccamus, & nihil nisi pœnas meremur, quotidie pœnitentiam agamus omnes, oportet. Quæ ratio pœnitentiam agendi hætenus visa nobis est, (nam præter istam plures alias dari, neminem Christianorum fugere potest) ad nos omnes, nullo excepto, spectat. DEUS etenim omnium Creator ac Pater beneficus est: Christus pretioso suo sanguine nos omnes redemit: beati Cœlites, quo sunt erga nos affectu benevolentia, salutis nostræ existunt cupidissimi. His igitur omnibus, si pœnitentiam egerimus, magnum erit in cælo gaudium. De sanctis autem Angelis, quorum hodie festum agimus, quid dicemus? Quid illi nobis quantumque boni præstent, quidque vicissim illis, lege gratitudinis, debeamus, antihac alio tempore memet exponere,


exponere, recordatus, in iis repetendis operam hac vice non impendam. Satis sit, in præsentia custodiæ illorum circa nos, & erga nos amoris atque benevolentia meminisse. Sunt à DEO missi in ministerium propter eos, qui salutem sunt hæredituri, *Ebr. I. 14.* Quis ergo dubitaverit, eos, si hoc fine missionis suæ potiantur, ut salvos olim nos videant, valdè gavissuros esse? At tanquam peccatores æternæ damnationis rei sumus, nec sine pœnitentiâ peccatorum in gratiam divinam recipi, nec æternam adipisci possumus salutem. Propterea, si sanctis Angelis, propter salutem nostram, gaudium, ceu decet, creare volumus, pœnitentiam agamus, oportet. Oportet autem, vera sit seriæque pœnitentia nostra, siquidem hypœcritica, qualem haud pauci, proh! simulant præque se ferunt, nec DEO, nec Angelis ejus placere, vel gaudium afferre potest. Quam ad veram pœnitentiam requirantur, quâ gaudium Angelis creari queat, cuncta tradere, hujus loci non est, quin ex quolibet sacrarum doctrinarum compendio, sive Dogmatica, sive Moralis Theologia spectetur, imò vel ex Catechismo solo unicuique nota debent esse. Hoc unicum duntaxat monemus, quamvis nova obedientia, seu studium emendandæ vitæ, pars quædam constitutiva pœnitentiæ non sit, sit tamen consequens necessarium, fructus & effectus illius, ut aded, quæ cum obedientiâ novâ conjuncta non est, non sit pœnitentia vera. Docet id divino afflatus Spiritu Salomon, *Prov. XXII. 13.* scribens: *Qui confitebitur pravaricationes suas, & NB. relinquet, misericordiam consequetur.* Ecce! non est grata, non gaudium pariens pœnitentia, quæ comitem non habeat novam obedientiam, ut ne quis falsò sibi persuadeat, solâ confessione se peccatorum egisse pœnitentiam. Et hocce Vos in specie, **COMMILITONES!** monitos velim, qui hæctenus manifestâ in impœnitentiâ versati, Vos tenebrarum filios exhibuistis, qui non sanctis Angelis pœnitentiâ gaudium, sed impiè patratis facinoribus tristitiam potius, contristato simul quoque Spiritu sancto; impœnitentiâ verò malis angelis, spiritibus illis tenebrarum, creare maluistis. Nolo de istis plura, quæ commemorare mihi tædet, sed ad promulgatum nuperrimè Rev. Concilii turbarum notiturnarum in universum omnium Interdictum Vos ablegatos velim. Hoc unicum solum monitum addo: seriam hæctenus commissorum, si salutis vestræ curam ullam habetis, agatis pœnitentiam, ut in cælo super vobis etiam exoriatur gaudium. Et, quod superest, quodque potissimum, unâ DEUM precemur omnes, ut sancto suo Spiritu cunctos nos dirigat, qui quotidianam in nobis, quotidianis peccatoribus, peccatorum, non proæreticorum tantum, sed & ignorantia atque infirmitatis, pœnitentiam excitet, ac in viam rectitudinis nos ducat, quò spiritibus illis infernalibus pœnitentiâ nostrâ dolorem, sanctis autem Angelis perpetuum creemus gaudium. Sic gaudemibus olim, per DEI gratiam, unâ gaudebimus, cumque Numen æternum in æternum celebraturis concelebrabimus. FIAT.

*STAMP.* SUB SIGILLO RECTORALI ET ACADEMICO.  
d. 29 Septembris, Anno MDCCXLII.





lis sanctis. Nec leve hoc esse tehueve gaudium, puta  
omninò magnum, Christo nos itidem docente. Com  
peccatorem, in statu peccati spectatum, ovi à grege ali  
dita, sed à Pastore suo sollicitè quaesita; respicientem  
DEum reversum inventa: qualem etiam eundem sec  
tera parabola de drachmâ amissâ & à matre familias a  
tandemque rursus inventâ. Utrique, tam Pastori, q  
miliâs ob iterum inventam amissam antea rem eminen  
scribit, & similem in modum magnum, ut in cælo u  
& speciatim coram Angelis DEI, gaudium fore, dici  
sumum est, sicuti perditorum ac amissorum recupera  
ac eorum, quæ reliqua nobis supersunt, afficit atque  
majus, asserit, futurum esse gaudium super uno pecc  
tiam agente, quam super nonaginta novem justis: pen  
pus habentibus, i. e. qui vel, opinione suâ, se justos,  
us Pharisei, *Luc. XIX. 11. 12.* (quem hodiè haud p  
conversos sanctosque jactantes, imitantur,) reputant  
pœnitentiâ, per fidem in CHRISTUM à DEO verè justifi  
uti diversas super hoc pronunciatas interpretationes of  
Ut ut vero sit, sufficere nobis potest, indigitare volui  
si quis peccator pœnitentiam egerit, permagnum super e  
sanctisque speciatim Angelis DEI, gaudium fore. Quæ cu  
nostrum, CIVES HONORATISSIMI! judicabimus esse  
mninò, testibus non solum sanctis DEI hominibus, Salom  
21. Paulo *Rom. III. 23.* Johanne, *1. Epist. 1. 8. 10.* Jaco  
sed conscientia quoque cujuslibet propria attestante,  
strum sine peccato vivere, quin omnibus nobis, cum ali  
lo Jacobo, consistendum sit: *In multis labimur omnes.*  
*dabit mundum, ex immundo? Job. XIV. 4.* Quapropter  
niam, ut cum Catechismo nostro loquamur, quotid  
peccamus, & nihil nisi pœnas meremur, quotidie pœ  
mus omnes, oportet. Quæ ratio pœnitentiam agendi  
nobis est, (nam præter istam plures alias dari, nemini  
rum fugere potest) ad nos omnes, nullo excepto, sp  
etenim omnium Creator ac Pater beneficus est: Christi  
sanguine nos omnes redemit: beati Cœlites, quo sunt  
ctu benevolentia, salutis nostræ existunt cupidissimi.  
mnibus, si pœnitentiam egerimus, magnum erit in  
De sanctis autem Angelis, quorum hodiè festum agim  
mus? Quid illi nobis quantumque boni præstent, qu  
illis, lege gratitudinis, debeamus, antihac alio te



the scale towards document